



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

9 An liceat habentibus potestatem dispensandi imponere aliquam  
mulctam pecuniariam, vel onus personale dispensaturis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)



expedit. Quocirca sæpe ob inopiam mulieris dispensatur in consanguinitatis impedimento, & ob periculum incontinentiæ in voto castitatis, & ob violationem maioris mali in aliqua lege; quæ sunt causæ personarum singularem attingentes: at mediæ ad bonum commune ordinantur, sic aliis relatis docet Sanchez lib. 8. disp. 19. in princ. Salas disp. 20. sect. 8. num. 75. Ballius lib. 8. cap. 14. n. 12. & colligitur satis hæc doctrina ex cap. requisitis, § nisi rigor, 1. quæst. 7. cap. necesse est, 29. dist. cap. ipsa pias, 23. quæst. 4. cap. fraternitas, 34. dist. & Trident. sess. 25. cap. 18. de reform.

8 Inquires secundo, an stante iusta causa dispensationis teneatur superior dispensationem concedere, vel possit illam denegare?

Prima sententia affirmat peccare Prælatum, si non dispense, quoties iubeat iusta causa dispensandi, glossa cap. Domino sancto, verbo necesse, 50. dist. Rebuff. repetit. cap. postulasti, notab. 3. num. 12. Syuell. verbo dispensatio, quæst. 1. in fine. Rosella ibi num. 4. Eman. Saa n. 2. Armilla n. 14. Ioan. Sanchez in select. disp. 43. num. 8. Præerea, & alij relati à Thom. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 10. n. 2. quàmque ipse reputat probabilem, & verè probabilis est. Ratio præcipua est, quia potestas dispensandi commissa est Prælati in bonum reipublicæ, & subditorum, Ergo si causa iusta adest excipiendi hanc potestatem, videtur Prælati teneri illam exercere; aliis contra debitum sui muneris faceret. Et consuetudo. Ex iustitia distributionis tenetur Prælati in distributione obligationum communium, & exemptione illarum procedere. Ergo tenetur merita personarum attendere. Ergo si existentibus meritis alicuius, vt eximatur ab onere, & obligatione communi illum non eximat, malè distribuit. Quod si negata vni exemptione, alteri æqualia merita habenti exemptionem concedat, iam videtur penarum acceptor. Ergo peccat. Non declarat autem hæc sententia quale peccatum sit, at attendit materiam gratuite videtur dicendum graue esse.

9 Secunda sententia, cui tanquam probabiliori adhæreo, affirmat aliquando teneri Prælatum dispensationem concedere, aliquando non; sed posse illam iuste denegare. tenet Sanchez supra, plures referens num. 3. Salas disp. 20. sect. 7. num. 70. Suarez lib. 6. de legib. cap. 18. num. 21. Ballius lib. 8. cap. 14. num. 6. & alij apud ipsos. Prior pars conclusionis, scilicet aliquando dispensationem esse debitam, videtur colligi ex cap. Domino sancto, 50. dist. ibi, vt necesse sit illos restaurare in loco honoris, qui per penitentiam reconciliationem recepisse merentur, & ex cap. quanto, in fine, 2. quæst. 4. & ex Trident. sess. 24. cap. 1. vbi prudentia & iudicio ordinarij committitur dispensatio in denunciationibus, quando est probabilis suspicio matrimonium malitiose impediri posse, quod iudicium, & prudentia ad eximendam suspensionem videtur expostulari, non ad negandam, vel concedendam dispensationem cognita suspicione malitiosi impedimenti. Idem etiam colligitur ex sess. 14. cap. 7. vbi de occidente in dispensationem propriam, excedente tamen moderamen inculpate tutelæ, ait Concilium dispensationem ei quodammodo deberi, Fateor has iuris probationes facile solui posse. Quod ergo efficaciter hanc conclusionem partem probat, est ratio pro prima sententia facta, potest enim contingere ita virgens causa boni communis, vel specialis alicuius, vt Princeps, cuius officium est hæc omnia respicere, censetur contra debitum sui muneris procedere, si dispensationem neget; si enim media dispensatione pax reipublicæ obtineretur, & negata destruitur, quis negare potest debere Principem, & reipublicæ gubernatorem dispensationem concedere? Item si dispensandus dispensatione sibi concessa reparat honorem sibi ablatum, quia alia via reparari non potest, vt contingit in femina stuprata, quo modo negati abique iniustitia dispensatio poterit? Secundam partem conclusionis, scilicet non semper debitam esse, probatur primò, quia sæpe in iure dispensatio vocatur indulgentia, cap. 1. de statu monach. in 6. aliquando misericordia, cap. postulasti de cleric. communis, ministr. aliquando gratia, cap. iudici, 1. quæst. 7. fine, cap. licet canon. de elect. in 6. sed indulgentia, misericordia, & gratia non sonant debitum. Ergo. Secundo, dispensatio deberi poterit vel ex aliquo præcepto positivo, vel naturali. ex præcepto positivo non semper debita est; nam dispensatio concedenda est à supremo legislatore, tunc certum est ex præcepto positivo deberi non posse, cum nullis legibus positivis humanis ardeatur. Si autem ab inferiore concedenda est, sæpe eius voluntati committitur dispensatio, vt in cap. ac si clerici, § de adulteris, de iudic. Ergo. Tertio quia esse Princeps teneatur ex suo munere dispensationem concedere, si virgens causa boni communis, aut alicuius particularis intercedat: at sæpe non ita virget, quin etiam virgeat ferè æqualiter causa negandæ dispensationis. Ergo in tali casu & poterit concedere dispensationem, & illam denegare, sicuti contingit in ferenda lege. Non enim semper Princeps cum legem fert obligatur illam ferre, poterat enim alia via bono communi prospicere, aliis quidquid posset facere, ex necessitate faceret: contra leg. quidquid, 40. ff. de iudicis, vbi non quidquid potestati iudicis permittitur, id necessitati iuris subicitur, & notat glossa in c. consulti, verbo gratiam,

de off. deleg. Quare esse potest probabile, adesse causam dispensationis, & non adesse. Ergo in hoc casu non tenetur dispensatio superior, esse possit, quia sequi potest opinionem probabilem.

10 Quod si inquiras, quando sit debita dispensatio? Vno verbo respondeat possunt: quoties bono communi, vel speciali grauitur conducit, neque alia causa in contrarium præponderet, sic Doctores pro sententia secunda relati, specialiter Sanchez, Salas, & Suarez; quando autem id conducit, prudentia, & iudicio superioris relinquendum est. Adde, quoties in iure denotatur causa ad dispensandum, tenetur inferior posita tali causa dispensare, quia tunc instruitur inferior, cui committitur potestas, quomodo illa debeat vi: sic docent Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 10. n. 6. Ioan. Sanchez disp. 43. n. 8. verus, præerea, Suarez lib. 6. cap. 18. n. 21. Salas disp. 20. sect. 7. circa finem. Quapropter tenetur Episcopus dispensare cum clerico, ne residat ratione studij, ex e. cum ex eo, de elect. in 6. quia ibi apponitur hæc causa, ex qua potest dispensari sic relato Ioan. Andr. Decio, Franco docet Sanchez, Suarez, & Salas supra. Item tenetur dispensare in denunciationibus matrimonij, si probatur adesse suspensionem malitiosi impedimenti. Item in interdictis, si id utilitati Ecclesiæ viderit expedire, ob eandem rationem.

11 Ex his inferitur; quid dicendum sit in delegatis. An, inquam, hi teneantur dispensationem concedere, cum viderint adesse causam sufficientem? Thomas Sanchez lib. 4. summa, cap. 14. n. 12. loquens de voto distinguunt inter delegatos habentes priuilegium dispensandi in sui fauorem concessum, vel in fauorem dispensarij. Et de habentibus priuilegium in sui fauorem, negat teneri dispensationem concedere postulant, eo quod nemo teneatur suo priuilegio vi, & sic excusat regulares nolentes dispensationem votorum concedere penitentibus; quia ipsi non addiunguntur vi suo priuilegio: at si priuilegium concessum sit in fauorem penitentis vt est priuilegium Bullæ, & Iubilæi, affirmat teneri electum Confessarium dispensationem concedere, quia penitens petit ius ex priuilegio sibi concessum: consentit quoad hæc tenentem partem Aragon 2. 2. q. 88. art. 12. in dubio quod mouet circa 2. conclud. fol. 1041. Vuald. candelab. sacram. 3. p. cap. 14. n. 58. Chapeauilla de casibus, reseruat. q. 2. dist. 17. fol. 2. Summa de voto, q. 5. n. 38. Sapius clauis regia lib. 6. cap. 2. num. 18. fine.

12 At exitimo aliter esse in hac parte distinguendum, aut enim loqui possumus de Confessario, antequam pax dispensatione votorum, vel impedimentorum illum eligat vel facta electione, & ab ipso acceptata: si post factam electionem, & acceptationem denegat tibi Confessarius dispensationem pro qua obrinenda causam iustam habes, infidelis est, & iniustus; quia iam quasi ex iustitia ratione acceptæ electionis obligatus est concedere. Et hoc siue concedenda sit dispensatio ex priuilegio in tui fauorem concessum, vel in fauorem dispensantis. Quia iam ipse priuilegiatus se ipsum obligauit vi priuilegio suo, eo quod electionem acceptauerit. Verum si loquamur antequam ipse Confessarius acceptet electionem sui ad dispensationem concedendam, nullo modo tenetur tibi dispensationem concedere, etiam si confessionem audiat; quia priuilegium concessum per Bullam non est ad actandum Confessarium ad dispensationem concedendam, sed est priuilegium concedens facultatem dispensandi Confessori volenti, non tenenti; aliis quilibet Sacerdos approbatus requisitus per Bullam teneatur confessionem cuiuslibet penitentis, qui illum requirit, audiscutare, quod est sine fundamento dictum.

Aduerto, aliquando posse delegatum teneri consentire electioni de se factæ & dispensationem concedere: nempe, si id iudicauerit grauitur bono dispensarij expedire, eo quod ab aliis repellitur, & ob repulsum tristarur grauitur; & in petulo peccandi existit, sic Ioan. Sanchez disp. 14. select. n. 17. circa finem.

#### PUNCTVM IX.

An liceat habentibus potestatem dispensandi imponere aliquam multam pecuniariam, vel onus personale dispensaturis.

- 1 Si dispensatio est in voto, fieri potest. Et idem est quoties ex onere imposta integratur causa dispensationis.
- 2 Causa legitima ad dispensandum intercedente nequit Prælatus, siue inferior, siue superior multam imponere: qui defendam.
- 3 Resoluitur in casibus, in quibus debetur dispensatio non potest multam imponi; sed in illis, in quibus denegari potest.
- 4 Inferior non potest sub onere aliquo, & pecuniaria multa dispensationem concedere, vt probabilis defenditur.
- 5 Proponitur obiectio, & sic illi satis.

1 Si dispensatio sit in voto, nemini est dubium id fieri posse. Quia tunc dispensans non imponit obligationem, sed ipse dispensandus sibi illam assumit. Item si causa iusta dispensandi



fandi non intercedit, nisi postea illa multa pecuniaria: potest quidem imponi, & ex illius impositione resultat sufficiens causa dispensationis, ut in dispensatione impedimento matrimonij fieri solet, & tradit Ledema 2. part. 4. questione 27. artic. 1. in fine, Suarez libro 6. de legibus, capite 16. in principio. & sup. 18. in fine. & tom. 1. de relig. tractat. 3. lib. 4. de sumon. cap. 20. num. 11. & 12.

2 Quare difficultas solum est an causa legitima intercedente possit superior nolle dispensare absolute, sed sub aliquo onere? Et procedit questio tam de Principe supremo, quam de inferiori.

De utroque negat Ioan. Sanchez disp. 54. select. n. 49. Monet, quia causa legitima intercedente tenetur superior dispensationem concedere ex vi sui muneris; sed pro exercenda actione debita non potest perire pretium aliquod, neque onus poni. Ergo. Et confirmo. Vei absque impositione illius oneris est causa sufficiens, ut superior legem relaxet, vel non? Si non est sufficiens causa, non est de illo questio: si autem absque illius oneris impositione est causa sufficiens, ut legislator dispense, iniuste videtur gravare dispensandam, cum absque causa onus imponat. Non ergo videtur onus imponendum, nisi pro complemento cause ad dispensationem necessariam.

3 Dicendum ergo existimo illis in casibus, in quibus diximus dispensationem debitam esse, nullo modo poterit legislator multam vel onus aliud tibi tenenti imponere, quia pro actione debita onus imponi non potest. sic Filiucius 2. tom. tractat. 27. cap. 7. num. 129, & in hoc sensu est verum, quod dicit Ioan. Sanchez. At cum dispensatio debita non est, sed potest absque iniustitia negari, poterit si legislator sit multam pecuniariam, vel aliam onus imponere, alijs nolle dispensare, sic Sanchez libro 6. capite 16. in principio, ubi testatur esse omnium. Supponit Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 10. num. 9. & videtur satis colligi ex c. licet, de ser. ubi conceditur diebus festis posse vacare pfectioni haretice in re post factam capturam Ecclesie circumpositis, & Christi pauperibus congruam faciant portionem. Et ratio est, quia cum non reneatur suam legem absolute relaxare, poterit illius obligationem in alia materia subrogare.

4 Quod si dispensans inferior legislator sit, & in lege superioris tibi concedit dispensationem, probabilius existimo non posse sub onere aliquo, & pecuniaria multa illam concedere. sic Sotus 4. distinct. 28. quest. 2. artic. 2. vers. ex his. Ludovicus Lopez 2. part. instruct. de matrim. cap. 39. §. sed si quis. Thom. Sanchez lib. 3. disp. 10. num. 9. lib. 3. disp. 14. num. 2. Ioan. Sanchez in select. disp. 54. num. 40. Probat, quia ad illud onus, & pecuniariam multam obligari non potes ex contractu, alius redoleret simoniam, si ob dispensationem tibi concessam in lege imponeretur obligatio pretio estimabilis. Neque etiam ex lege precedenti obligari potes, quia inferior non valet legem preexistentem ad aliam materiam extendere, neque de novo legem, aut preceptum imponere. Vnde enim constat talis potestas? Quod si dicitur a legislatore illam habere, eo quod debet presumi legislatorem concedere potestatem dispensandi in lege, prove melius ipsi videbitur, absolute, vel in modo commutationem. Negamus id posse presumi, alijs presumi posse datam esse potestatem inferiori commutandi superioris legem, in aliquo opus pius, quoties viderit subito consentiens esse. Quocirca inferiori Prelato solum committitur potestas relaxandi legem causa iusta intercedente: at subrogandi loco illius aliam nullo modo, & in legibus, que non imponant opera subditis, sed ad vitanda aliqua inconuenientia, rei ad seruandum debitum ordinem ferantur, affirmat Suarez libro 6. cap. 16. num. 9. imponi non posse multam pecuniariam, & hinc inferit pro remittendis denuntiationibus ad matrimonium, interestibus ad ordines, pro licentia suscipiendi ordines ab alio Episcopo non posse multam pecuniariam imponi; & fuit Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. & sess. 25. cap. 18. & sess. 21. cap. 1. de reform.

5 Sed obuiet, Prelati inferiores sepe dispensant in observatione festorum, ieiuniorum, imponendo aliquod onus, & pecuniariam multam pauperibus, vel fabricae Ecclesie applicandam, iuxta cap. licet, de fer. Ergo signum est a legislatore supremo commissam illis esse potestatem hoc modo dispensandi.

Respondeo cum Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 14. num. 2. hoc esse signum sequi sententiam probabilis tibi fauorem, & iustitiam extendentem, non tamen esse certum commissam illis esse talem potestatem.

Obuiet secundum cui commissa est potestas dispensandi in votis, & iuramentis, commissa est etiam potestas commutandi, eo quod maior sit potestas dispensandi, quam commutandi. potestas enim dispensandi tollit integre obligationem; potestas vero commutandi ex parte tollit. Ergo. Similiter concessa potestas dispensandi in legibus, censetur commissa potestas commutandi, quia minus est.

Respondeo negando consequentiam. Et ratio differentiae est, quia potestas commutandi vota, censetur sub potestate dispensandi inclusa, tanquam quid minus in maiori: at potestas mutandi legem non potest includi sub potestate dispensandi, quia maius est: maius enim est tollere legem, & aliam de nouo imponere, quam solum tollere absolute, sed non est maius commutare votum, quam votum dispensare, quia licet commutans tollat antiquum votum, quoad materiam pre-existentm subrogat aliam materiam, ob quam votum extenditur ex voluntate ipsius cui est facta commutatio: at in commutatione legis tota subrogatio, non ex voluntate illius, qui est ligatus per legem, sed ex voluntate legislatoris provenit, eaque de causa maius quid est commutare legem, quam in illa dispensare.

PUNCTUM X.

An asserenti se habere potestatem dispensandi, debeas illi fidem adhibere.

- 1 In foro conscientiae bene potes, non teneris.
- 2 In foro externo nemini est credendum, nisi instrumentum commissionis ostendat.
- 3 Limitatur in his, que graue prauidicium generare possunt, secus in his, que nullum vel minimum.
- 4 Asserenti potestatem se habere dispensandi, absoluenti, concedendi indulgentias, credi potest.
- 5 Creditur Episcopo non subditum ordinanti, si dicat in titulo de licentia proprii Episcopi fecisse.
- 6 Item de Penitentiario dicente vix vocis oraculo sibi concessam esse potestatem absoluenti a reuerenti.

1 Si sermo sit de foro conscientiae, fides ei potest adhiberi; experientia enim testatur credi Confessori dicenti se habere potestatem absoluenti, vel dispensandi, sic Sanchez libro 8. disp. 17. n. 2. imò non solum Confessori dicenti se habere potestatem, sed etiam tibi asserenti potestatem, & priuilegium habere, ut absoluaris a reuerenti, vel dispenseris, poterit Confessor credere, quia solum de tuo commodo, vel prauidicio agitur, Neque tamen videris obligatus credere: quia nemo in propria causa censetur testis omni exceptione maior.

2 Si autem loquamur de foro externo, regula generalis est, nemini credendum esse habere potestatem delegatam, nisi instrumentum commissionis ostendat, quia est res facti, que non ab ipso, sed ab alio, scilicet a delegante pendet, eaque de causa probanda est, alias quilibet priuatus officium iudicis assumere sibi posset: sic multis allegatis docet Menoch. de arbit. libro 1. quest. 76. praecipue à num. 8. Mascard. de probat. concl. 268. n. 15. Sanchez lib. 3. disp. 17. à num. 18. & probatur satis ex capite cum in iure priuatis, de off. deleg. ubi statuitur non credi delegato, nisi de suae obligationis mandato fidem faciat; quia dum non constat de mandato delegationis, in loco priuari habetur. Quae ratio probat de quocumque delegato, etiam in magna dignitate constituto, ut relato Decio, Ial. & alijs tradit Menoch. illo num. 8.

3 Limitat autem Sanch. n. 19. Menoch. n. 10. Mascard. num. 22. ut intelligatur in his, que graue prauidicium generare possunt; secus vero in his, que nullum, vel minimum prauidicium asserunt, quia tunc prauidicium inferres asserenti, si absque causa ei fidem non adhibeas.

4 Ex qua limitatione inferit Sanch. n. 19. cum Ial. repet. l. admenentis. n. 275. de iur. iur. & Gutier. lib. 2. qq. canon. cap. 17. fin. asserenti se habere potestatem dispensandi, absoluenti, concedendi indulgentias credi posse: quia agitur de nullo, vel minimo prauidicio. caute tamen haec illatio accipienda est, non enim cuiuslibet in hac parte credi debet, sed viro timorato, & in dignitate constituto, & de quo presumi non posset falsum dicere. Tum quia esto haec potestas nullum, vel minimum prauidicium ordinarij asserat: at asserenti habenti illum specialem honorem, & auctoritatem, ob cuius causam presumi potest tibi falso arrogare. Non ergo est credendum, nisi probet.

5 Secundo inferit Sanch. n. 20. credi Episcopo promouenti ad ordines non subditum, si dicat in titulo collationis de licentia proprii ordinarij fecisse: consentit Menoch. n. 10. Gutier. lib. 2. qq. cap. 17. n. 10. Rebuffi. praxi. benefic. de forma dimissoriaum, num. 36. Ratio est potest. quia illa ordinatio non subditi credit in modicum prauidicium Episcopi proprii, & in graue damnum Episcopi ordinarij, si quidem manet suspensus. Non ergo presumi potest mendaciam committi. Placeat.

6 Tertio inferit Sanch. & bene alios referens, n. 21. credi summo Penitentiario dispensanti in aliquo calu reueruato, si asserat vix vocis oraculo sibi concessam esse potestatem, quia non viderit haec credere in prauidicium alicuius; si enim dispensatio in alterius prauidicium cederet, etiam ei non debet, ut pluribus relictis docet Mascard. concl. 268. n. 22.

DE  
ASTRO  
DALAC  
TOM.  
II  
E